Cor eſt principale membrum animalis.

ORbis homo minor eſt partes majoris obumbrans:
Cor genium præſtat, *Phœbe* coruſce, tuum.
Tu regis imperio *ſpatioſi* climata *mundi*,
Et *Cor* par princeps, *Orbe minore* ſedet.
Tu fundis radios, animos *Cor*: audit uterque
Fons vitæ, vivum nectar utrinque ſcatet.
At *Cerebri* dat *Luna* vices; ſic pallet & humet,
Frigétque, & *Soli* proxima, *Sole* minor.
Nec tamen ipſa *ſuis*, radiis à *Sole reflexis*
Lucet. In Eclipſi eſt? En ſine luce vides.
Sic *Cerebrum* vitæ radios à *Corde* receptos
Reddit, & obſtructo *Corde*, vacare ſolet.
At *Cerebri* eſt (inquis) ſenſus motúſq; ; quid indè,
Si *Cor* virtutem dat, *Cerebrúmq;* movet?
Quin ſibi quos retinet, potiores exerit actus
Cor; ſperat, gaudet, *Cor* cupit, odit, amat.
Ecquid ineſt *Cerebro* tanti? immò *Corde* voluptas
Solo habitat, vitam ſola beare poteſt.

Tantum ergò *Cordi Cerebrum* concedat oportet,
Quantum *Phœbæo* pallida *Luna* globo.

Animam eſſe immortalem eſt principium ingenitum.

ECce Par[illegible]um brutis animalibus indit
Forma[illegible]remio quas trahit ipſa ſuo;
Inſtinctu pro lege nato: ſed majus agendum
Eſt opus, humanum fingat ut illa genus.
Indè volat ſuperas (ſic res cogebat) ad auras,
Et magni *æthere* cum *Iovis igne* redit;
Quo terræ miſto ficti ſumus: una ſuperna
Pars ambit ſedes, altera quærit humum;
Addit & *ingenitas leges* & *lumina ſacra*:
Hinc juſtos quiſque eſt conſcius eſſe Deos;
Et metuit tacitam ſceleratus Numinis iram;
Sperat at è contrà præmia certa bonus.
Novit & *æternam* ſuper aurea ſydera *vitam*,
Libera cùm vinclis corporis *umbra* fugit.
Qui cupiunt nullos ſupereſſe à funere *manes*,
Hi quoque ne poſſit *mens ſupereſſe* timent.
Gens nuſquam tam craſſa fuit, quæ morte putavit
Nos totos rapidi jura ſubire rogi.

Ergò eſt principium nullo non corde receptum,
Nos animâ triplices vincere poſſe Deas.